

No. 298. 1291. 15. März.

P. Nikolaus IV. beauftragt den Abt des Cisterzienserklosters Sedlitz und den Domprobst Mag. Bernhard von Camenz zu Meissen die Anstalten der Brüder des Hospitals des Kreuz-Herren-Ordens zu Prag zu besuchen und durch Beseitigung der eingerissenen Ungebühnisse und Misbräuche zu reformiren.

Nicolaus episcopus etc. dilectis filiis . . . abbati monasterii de Sedlitz Cisterciensis ordinis Pragensis diocesis, et magistro Bernardo de Camenz praeposito ecclesiae Misnensis salutem etc. Pia desideria devotorum paternis affectibus prosequentes preces illas non immerito animo libenti suscepimus et favorabiliter exaudimus, ex quibus tranquillitas personis divinis obsequiis deputatis et animarum salus provenire noscuntur. Petitio siquidem dilectorum filiorum . . . magistri et fratrum hospitalis stelliferorum beati Francisci in pede pontis Pragensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis ordinis sancti Augustini, ac priorum, rectorum et fratrum prioratum, hospitalium et membrorum eidem hospitali pleno iure subiectorum nobis exhibita continebat, quod hospitalia, prioratus et membra praedicta propter malitiam et excessus quorundam habitantium in eisdem, sunt tam in spiritualibus quam temporalibus adeo deformata, quod in utrisque noscuntur reformatione non modica indigere. Quare ex parte ipsorum fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum ipsi per vestrae circumspectionis industriam et providentiam circumspectam confidant hospitalia, prioratus et membra praedicta salubriter reformari et ad statum reduci prosperum et tranquillum, dictusque magister propter aliquorum habitantium praedictorum potentiam, et ex aliis certis causis ad haec impotens et insufficiens habeatur, providere super hoc eis ac hospitalibus, prioratibus et membris praedictis, ne ipsa propter hoc enormis dispendia deformationis incurrant, paterna sollicitudine dignaremur. Nos igitur eorum votis favorabiliter annuentes, discretioni vestrae, de qua plenam in domino fiduciam gerimus, per apostolica scripta mandamus, quatenus ad hospitalia, prioratus et membra praedicta personaliter accedentes et habentes prae oculis solum deum, corrigatis et reformetis in eis hac vice, quae correctionis et reformationis officio noveritis indigere. Contradictores etc. Datum apud Urbem veterem Id. Martii anno quarto.

Aus dem Lib. regg. Nicolai PP. IV. an. IV. ep. 98. T. III. fol. 19 im Vatican. Archiv.

No. 299. 1291. 11. Juli.

Gebhard Dechant zu Mainz und Domherr zu Meissen stiftet den Altar der Apostel Petrus und Paulus mit einer Vicarie in der Domkirche, dotirt dieselben mit Einkünften zu Grosskagen und Cölln bei Meissen und bestimmt unter anderem die an den Festtagen der genannten Apostel festzuhaltende Liturgie. Vgl. No. 254 u. 280.

In nomine domini amen. Gebhardus dei gratia decanus Maguntinensis, canonicus Misnensis ecclesiarum omnibus Christi fidelibus in perpetuum. Vita hominum declinat, tempus in quo movemur et sumus simul cum vita corrui, omnia quoque, quae